



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. Disputatur utrum idem sit hic Liber, qui à Joachimo rege crematus est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

neficio inde eductum, & libertati redditum, & inimicos suos facinorum poenam tulisse ait, quæ ipsius vaticiniorum Libro accurate consentiunt.

*Disputatur utrum idem sit hic Liber, qui à Joakimo Rege crematus est.*

Jer. 36. 29.

Jer. 36. 28.

Jer. 36. 32.

II. Ebrais nonnullis, ac præcipue R. Salomoni persuasum fuit, hunc ipsum esse Librum, quem Joakimus rex, postquam à Barucho iussu Jeremia coram populo recitatus est, cum sibi prælegeretur, scalpello conscidit, & in ignem projecit, quemadmodum narratur tricesimo sexto Jeremiae capite, quemque Baruchus Jeremia dictante rescripsit, gravibus comminationibus auctum, iis nempe quæ habentur quarto Threnorum capite, cum prius volumen tribus duntaxat primis capitibus constaret. His ne assentiar, duæ me causæ absterrent; prior, quod tricesimo sexto capite Jeremianarum prædictionum legatur: *Et ad Joakim regem Juda dices: Hac dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians: Festinus veniet Rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex illa hominem & jumentum?* Certum est itaque in priore illo volumine concremato postrema hæc verba existisse. Quæcumque autem illic scripta erant, in alterum volumen Dei mandato relata sunt. Rursum, inquit, *tolle volumen aliud, & scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussisti Joakim rex Juda.* Atqui vaticinium istud, Babylonii Regis adventum prænuntians, in Threnis minime reperitur. Præterea hæc est ingruentis mali denuntiatio, Threni vero sunt illata jam cladis deploratio, ut ostendit Præfatio Libri præfixa. Altera causâ oritur ex hoc commate ejusdem capituli: *Jeremias autem tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch, filio Nerie, Scriba, qui scripsit in eo ex ore Jeremia omnes sermones Libri, quem combusserat Joakim rex Juda igni: & insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant.* Cum ergo tria prima capita totum efficerent priorem Librum, uti Ebraei volunt, longe ampliorem capitum numerum secundum volumen continebat, cum unico tantum capite auctior sit Threnorum liber.

*Disputatur de Auctore exigua Præfationis Threnis præfixæ. Septuaginta Interpretibus adscribi potest.*

III. Exiguam illam, & vix unius versiculi Præfationem, quæ Libri hujus argumentum complectitur, & in Editione vulgata extat, Septuaginta quoque Senum interpretatio repræsentat; sed nec in Ebraico exemplari, neque in Chaldaica Ionathanis Paraphrasi, nec in Syriaca interpretatione habetur, neque in Hieronymo, qui Ebraica scæctatus est. Hanc ab eo tempore Libro adtextam arbitror, ex quo caput postremum vaticiniorum Jeremiae, quod ab Esdra argumenti loco fuerat Threnis præfixum, ut docuimus, à librariis inde sejunctum, & ad præcedentis libri calcem fuit adnexum. Nam cum argumento jam inde careret Threnorum liber, præmittendum istud viri eruditi arbitrati sunt. Septuaginta ipsos Interpretes facti auctores credunt plerique, neque nos dissentimus. Id enim vel in vetustissimis eorum editionibus reperitur, & Arabica quoque, aliæque præferunt Interpretationes, ad Græcam illam expressa.

*Probatnr Lamentationum Jeremiae ymnicus & antiquitas.*

Zach. 1. 6.

Jer. 2. 17.

2. Par. 35. 24.

25.

Joseph. Antiq. libr. 10. cap. 6.

Hier. Proem. in Lament.

Thren. 4. 10.

IV. Cæterum quoniam cohærebant Jeremiae Prædictiones & Threni, ut dixi, & in unum volumen compacta erant, hic quoque valere debent argumenta plurima ex iis, quibus illarum vetustatem probavimus. Idem ostendit & cognatio stili, quam statim subodorantur ii, quibus largitus est Deus *spiritus veritatis*. Ostendunt & locutiones similes in utroque opere & germanæ, quas supra adnotavimus. Ostendit & parva illa Præfatio, quam ab ipsis Septuaginta Senibus videri præfixam docui. Ostendunt & hæc Zacharia: *Verumtamen verba mea & legitima mea, qua mandavi servis meis Prophetis, nunquid non comprehenderunt patres vestros, & conversi sunt, & dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum adinventiones nostras, fecit nobis?* quæ derivata sunt ex istis Threnorum Jeremiae: *Fecit Dominus que cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis, destruxit, & non pepercit, & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum.* Minime vero facit huc iste locus de secundo Paralipomenon: *Univrsus Juda & Ierusalem luxerunt Iosiam, Jeremias maxime, cujus omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem Lamentationes super Iosiam replicant; & quasi lex obtinuit in Israël, Ecce scriptum fertur in Lamentationibus.* Quamvis enim de iis quæ supersunt Lamentationibus hæc videatur scripsisse Josephus libro Antiquitatum decimo: *ισαίας δ' ὁ θεσπίζων τῶν ἄνδρων ἰωσίου συνέταξε μέγας ὑμνον, ὃ καὶ μέγας οὖν ἄσπασεν.* Jeremias autem propheta in Iosie funere lugubre carmen composuit, quod superest ad hanc diem: & allata Paralipomenon verba ad eas quas habemus Lamentationes retulerit Hieronymus, cum dixit: *Quod enim Lamentationes prædictæ, non solum super urbis Hierusalem vastatione, & Iudaici populi captivitate, sed etiam super Iosie Regis occasu conscriptæ sint, liber Verborum dierum demonstrat: & quamvis arbitrati sint Ebraei quidam, in hisque R. Selomoh, lessum in Iosia funere à Jeremia cantatum, quarto Threnorum capite contineri, atque id maxime demonstrari hoc versu: Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus: ( quippe & is captus dici potest, qui est interfectus.*